

plantæ, à qua petita est. Sed ritè parari debet. Mod<sup>o</sup> est, qui præ alijs Manardo *Lib. 15. Ba* cōplacet: vt in duplici vase ea ratione, *pist. Med. 5.* quâ Galenus iussit omnia vnguēta confici, hæc fiat operatio: ita tamen, ne vasculi fundum, quo herba continetur, aquam bullientem attingat, sed solo vaporifero humore ab ea eleuato, incalēscat. A calore enim illo miti, ex totius herbæ substantia vapores exhalant, qui in aquam vertuntur, omnium herbæ partium vires adseruantem, quæ ex odore & sapore apertè cognoscuntur. Hęc verba sunt Manardi. Itaq; non imus inficias, si, quibus non decet modis, tractemus remedium, facultatum quoque tolli vigorem qui cum partium congerie nitatur, illis præter artis præscripta destructis, & ipse minuitur euanescitq;. Sin obseruetur separandorum conditio, vt quæ penitùs terreæ substantiæ affixa hærent, ardentiori ignis gradu expugnentur: quæ aërea magis & fluida, moderatiore: tantū abest, vt spoliētur remedium portiones suis congruentibus. agendi qualitatibus: vt ipsæmet

met